Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



die iudicij · quia sicut ille est et nos sumus in hoc
mundo · Timor non est in caritate: sed perfecta caritas
foras mittit timorem quoniam timor penam habet
Qui autem timet non est perfectus in caritate · Nos
autem diligamus deum · quoniam deus prior dilexit
nos · Si quis dixerit · quoniam diligo deum et
fratrem suum oderit: mendax est · Qui enim non
diligit fratrem suum quem videt: deum quem non
videt quomodo potest diligere: Et hoc man-
datum habemus ab eo: ut qui diligit deum dilig-
at et fratrem suum Gradualis Ego dixi domine miserere mei
sana animam meam quia peccavi tibi ℣ Beatus qui intelligit super
egenum et pauperem in die mala liberabit eum dominus
Alleluia ℣ Domine deus meus in te speravi salvum me fac
et omnibus persequentibus me et libera me Sequentia sancti Lucam 16
In illo tempore dixit dominus ihesus discipulis suis Homo quidam erat dives et induebatur
purpura et bysso et epulabatur cotidie
splendide · Et erat quidam mendicus nomine
lazarus: qui iacebat ad ostium eius plenus
ulceribus plenus cupiens saturari de micis que ca-
debant de mensa divitis et nemo illi dabat · Sed
et canes venientes lingebant ulcera eius · Factum
est autem ut moreretur mendicus: et portaretur
ab angelis in sinum abrahe · Mortuus est
autem et dives: et sepultus est in inferno · Elevans
autem oculos suos cum esset in tormentis: vidit
abraham a longe et lazarum in sinu eius
Et ipse clamans dixit · Pater abraham miserere
mihi: et mitte lazarum ut intingat extremum